



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

2. Cur nudus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Sol calet igne meo ; flagrat Neptunus in undis ;
 Pensa dedi Alcidae ; feci servire Tonantem,
 Quamvis liber erat ; Martem sine Marte subegi.

Hinc pingitur currui insidens, à leonibus tracto, quos scuticà & habenis regit. Idem fulmen frangit, ad ejus potentiam ostendendam. Elegans etiam est recentioris Poëtae epigramma, cui inscriptio:

Hercules:

Ioles amore captus est,
 Omphalæ amore victus est,
 Ille, ille victor omnium
 Fortissimus Tyrinthius.
 Risit puellus teliger,
 Et arcui inscripsit suo:

Amor Hercules est Herculis.

Conqueritur de Numinis hujus tyrannaide ille miser apud Plautum
 in Mercat. scen. 2.

Súmne ego homo miser, qui nusquam bene queo quiescere?
 Si domi sum, foris est animus: si foris sum, animus domi est.
 Ita mihi in pectore atque in corde facit amor incendium.

Ethica.

I. (a) Cupido fingitur *Puer*, quia judicii expers: quò enim quis amantior, hòc plerumque est amentior: facillimèque decipitur, quisquis amat. Puer est, quia recens amor fervet maximè: & quia inter juvenes magis, quàm senes. Sapienter Epictetus: Quid est amor? otiosi pectoris molestia: in puero pudor: in virgine rubor: in femina furor: in juvene ardor: in senè risus. Præterea inter *floras* & *Gratias*, in Jovis hortis nutritus dicitur; quòd delicatis amor rebus ac pulchritudine gaudeat: vernanti tempore & ætate vigeat.

II. (b) *Nudus* est: tum quia amantes secreta quævis mutuò produnt. Testis Samson, qui Dalilæ fatales crines indicavit: tum quia candidus & apertus esse debet amor: tum quia non opes, sed persona amanda: tum quia profusus est, & sæpè nudos facit: tum denique, quia nuditate accenditur.

III. (c) *Cacus* est: quia mentem excæcat, ut amata rei vitia non cernat amans, nec advertat pericula & damna inde fluentia, ideòque in errores gravissimos impingat, veteri versu:

Amor.

(a) Cupido cur puer? (b) Cur nudus? (c) Cur cacus?